



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

De figuris sine formis sententiarum. Cap. XI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

lem, ac etiam oratori necessariam, non contemnat; præcepta, qua à pueritia didicit, ad vsum reuocet: Grammatica vtatur tanquàm famula, ad animi sensa exprimenda bonos Grammaticos legat, imitatione & exercitatione stylum, qui est optimus dicendi effector & magister, alat. De numeris etiam, longum & superuacaneum arbitror agere. Christi nuncius, diuinæ voluntatis interpres, in minimis non est occupandus; præterquàm quòd in hoc satis bonum, & magni faciendum est aurium iudicium; quibus est consulendum, ne eodem semper sono feriantur; & nè nimium numerosa oratione vtentes oratores, canere potiùs cantilenas, quàm ad populum dicere, videantur: in quos illa verba accommodari possunt: Si loqueris, cantas: si cantas, malè cantas.

De figuris siue formis sententiarum.

Cap. XI.

CVM duo sint figurarum seu formarũ genera, verborum nimirum, & sententiarum; cumq; de figuris verborum, quantum subiecta materia postulare videbatur, egerimus, reliquum est, vt de figuris sententiarum, in quibus magna eloquentiæ Ecclesiasticæ pars, nempe, appositè dicendi ratio, constituta est, aliquid dicamus; quòd eò minùs alienum videtur, quòd ea omnium linguarum generibus sunt communes. Est autem appositè dicere; cum ad docendum, tenue & subtile genus dicendi adhibetur, ad laudandum, equabile & temperatum, ad commouendum, flectendumquæ vehemens & incensum. Ille autem docens aliquid aut credendum, aut sperandum, aut timendum, aut vitandum, aut agendum,

apposi-

appositè dicere putandus erit; qui ab initio id, de quo sibi
 dicendum sit, proponet; deindè, quod propositum fuit, ex-
 planabit definitione; vtetur diuisione, rerum distinctiõe;
 breuem nonnunquã rationem subijciet; ad ea, quæ proposi-
 ta erunt, reuertetur; exẽplo & similitudine rem declara-
 bit & illustrabit; breuiter, interdũ digredietur: vndè de-
 flexit oratio, se redire significabit. concludet interdũ sin-
 gulis argumētis, nonnunquã pluribus explicatis, quæ ex-
 plicauerit, cum ijs, quæ sequuntur, coniūget; frequentio-
 ribus membris, & cæsis vtetur. Laudans verò Christia-
 nas virtutes fidem, spem, charitatem, virginitatem, mar-
 tyrium; vituperās contraria; appositè dixerit, si maiesta-
 te, splendore, grauitate sententiarum, verborumquẽ, varijs
 luminibus, quæ pulchritudinem & venustatem afferunt,
 vtatur. Efficiet vt oratio ipsa, rerum, quas exornandas
 susceperit, imago sit, eas exprimat & imitetur, vt illustris
 sit explanatio, resquẽ, perè sub ad spectum subijciat; mores
 imitetur, illustribus vtatur translatis; vtatur etiam, au-
 gendi minuendive causa, superlationibus ijs, quæ sensu et
 vita carent, sensum et motum adiungat; multa sæpè in
 vnum colligat et coaceruet; quæ rem attingunt, cum ipsa
 re coniungat; cum locus fert, inserat antitheta; periphra-
 si vtatur interdũ paronomasia, et aliquo acutè dicto, va-
 rijs aliquandò sententiæ figuris orationem illuminet;
 vtatur interrogatione, percontatione, auersione, dubita-
 tione, correctione, prætentione; tum ijs, quæ leporem &
 venustatem addunt orationi. dissoluta geminatione ver-
 borum, paulum immutato verbo vtatur atque deflexo,
 eiusdem verbi repetitione, conuersione, gradatione, am-
 plificationibus, digressionibus, rerum & personarum de-
 scriptio-

scriptionibus: verba sint lecta, suauia, grandia, sonora;
 suppellectile & copia propriorum & translatorum dele-
 detur. Qui verò flectere animos, eosq; cōmouere sibi pro-
 posuit, vt de ppria salute cogitent; vt ipse appositè dicat,
 necesse est, miris varijsq; modis auditores afficiat: mo-
 nentis, hortantis, irascentis, accusantis, obiurgantis, con-
 querentis personam induat; demōstret hominum vitia &
 peccata: excuset, purgetq; eos, qui lasi videantur: laudet,
 promittat, deprecetur, oret; scelera scelestis hominibus
 exprobrat, exhorrescat, aliquid iubeat, increpet, insultet
 impijs, lamentetur, munitetur, terreat, significet propemo-
 dum esse desperandum: auditorū arbitrio pmittat omnia,
 tanq̄ rebus deploratis, miretur, cōtestetur; speret tamen,
 cōsuletur, gratuletur bonus, lateatur, eos cōfirmet, & imi-
 tandos ceteris proponat, proferat vocem liberam, exclam-
 met, optet, personam induat, communicet cum auditore,
 interroget quæ premant, & vrgeant, dissimulet, senten-
 tiam suam reticeat. Singulas figuras siue formas senten-
 tiarum describere, non esset difficile, sed longum, ac etiã
 fortasse superuacaneū; cū vsu potius et exemplis, quàm
 preceptis et descriptionibus, possint disci, singularū vnum,
 duo, aut ad summum tria exempla proponemus, atque
 ex his aliqua, his temporibus accommodata, vt facilius
 earum natura percipiatur, & vt singula à clericis, cū
 locus postulabit, ad vsu libentiùs reuocentur.

Exemplum propositionis.

Cap. XII.

SANCTVS Ioannes Chrysostomus, quem, aureum
 flumen Christianæ eloquentiæ, rectè appellauerimus,
 cū

cū